

A  
184  

---

XVI.

H. K. B. N. X, e. 24.

BREVIS CON  
FESSIO DE SACRA COENA DO  
MINI ECCLESIA RVM SAXONICARVM  
& coniunctarum in Transyluania:  
Anno 1561.

VNA CVM IUDICIO QVATVOR ACADEMI  
arum Germanie super eadem controversia.

PSAL. CXIX.

Seruus tuus sum ego: da mihi intellectum, ut sciam  
testimonia tua.



Fars Bi  
cibin.

CVM GRATIA ET PRIVILEGIO  
Serenissimi principis nostri, electi Regis  
Hungariae, &c.

M. D. LXIII.

VIII. M. i.

VIII. Mi.

104

CONFORTY cor Less tru & sperare in domino

MATTHIAS HEBLER; PASTOR  
ECCLESIAE CIBINIENSIS, OMNIBVS  
*p[ro]p[ter]e lectoribus s. p. d.*

**E**T si magna fuerunt difficultates inde ab initio mundi,  
quaec Ecclesiam Dei duriter exercuerunt: tamen &  
vox Divina prædixit, & experientia testatur, postremam  
mundi senectam sicut alidorem futuram, & Diabolum ra-  
biosius grassaturum, quam superioribus temporibus.  
Cui traxit Sathan permissione D[omi]ni, intra paucos annos,  
per varias heresies, fere omnes articulos fidei Christianae,  
qui his contradictionibus, velut aurum igne, purgati &  
ilustrati sunt. Nunc controversia de venerabili Cœna Do-  
mini orbem Christianum concutit. Quid alibi turbarum  
sit, prætereo: nosiras intestinas calamitates vero gemitu de-  
ploramus. Vix dum reliquæ Ecclesiarum Hungaricarum  
ex erroribus Papistis respirauerant: ecce nouam & hor-  
rendam tragediam de Testamento Filij Dei mouent qui-  
dam verginosi spiritus: quorum opinio S[ic!] rationi hu-  
mana plausibilis videtur, ideoque celeriter velut incendium  
grassatur: tamen tantam colluuiem malorum secum tra-  
hit, ut sola vniuersam religionem Christianam deturura vi-  
deatur, nisi Dominus obsserterit. Manifeste enim defen-  
sores illius adimunt Filio Dei laudem veritatis & omnipo-  
tentiae, dum contendunt, Dei virtute effici non posse, ut  
corpus Christi simul in celos sit atque in terris substantiali-  
ter, cum tamen sacra scriptura hanc consolationem tan-  
quam summam nobis proponat, Deum esse super omnia,  
et plus quam petimus aut intelligimus, facere posse, sicut et  
vox Angeli testatur: Non est impossibile apud Deum  
omne verbum. Stante itaque hac opinione Sacramentario-  
rum, concedet articulus: Credo in Deum Patrem omni-

A 2 potenter,

potentem, Item, diuinitas & omnipotens Christi, atque tandem non magno negotio religio Christiana cum blasphemis Turcicis & Iudaicis conciliabitur.

Etsi autem aduersarij negent hic esse disputationem de omnipotencia Christi, vident nimurum, quod, si haec ipsorum prophanitas populo ostendatur, omnes boni errorum ipsorum sint abominatur: tamen si quis omnia illorum argumenta de proprietatibus humanae naturae & ascensione in coelum expenderit, videbit in illis nihil aliud quaeri, nisi ut omnipotencia Christi quibusdam limitibus circumscripta, sicut quidam ex eis in scriptis suis fatentur, contra uersiam hanc esse de Dei omnipotencia, & Angeli dictum mirabiliter limitare conantur, idque exemplis ostendere volunt. Considerent haec prij, & hinc iudicent, quo spiritu defensores huius opinionis agitantur, an non uniuersam religionem, atque adeo filium Dei ludibrio habeant. Si enim veritas & omnipotencia Christo detrahitur, iam totum fundamentum fidei nostrae, consolationis & invocationis sublatum, denique de aeterna nostra salute actum & desperatum est. Verum omitto haec, ne uidear priuato morbo animi malum hoc odiosius exagitare. Vivit Christus cuius negocium agitur, qui, cum sit Dominus etiam inimicorum suorum, veritatem verbi sui potenter tuebitur.

Nunc consilium huius editionis breuiter ostendo: Non mirum est errorem istum propter ingratitudinem & contemptum Euangelij apud nos, Deo permittente, sparsum esse. Ceterum multorum hominum oscitania (ne quid grauius dicam) miseranda potius quam miranda est, quod a manu estis verbis Filii Dei, & recepta Ecclesiae sententia ad somnia rationis humanae defecerint. Pro quo incremento erroris, gratia (qualem meriti sunt) debetur quisbusdam impostoribus verius quam Pastoribus Ecclesiarum

rum, qui cum ipsi venenum hoc haussent, possea nequam  
hanc & supercoelestem sapientiam in omnes partes, literis  
ad amicos ea de re datis, disseminauerunt, infarcientes men-  
dacia non pauca, opinionem hanc in Academia Vuiteber-  
gensis, cuius merito maxima est authoritas, & alibi per  
Germaniam approbatam else. His ipsorum literis &  
scriptis euulgatis animi multorum lauiciati & seducti sunt.  
Creuit malum hoc agitatione quotidiana, prout error se-  
cundus est, & in tantam, sicut videmus, amplitudinem se  
diffudit.

Gloriosentibus itaq; dissidijs non scilicet inter Ecclesiasticos sed & Politicos, decreuit Princeps noster Clementissimus ad supplicationem trium nationum Transyluaniae, ut Ministri Ecclesiarum vtriusq; partis publicani sententiarum collationem instituerent, si forte hoc remedio intestina odia consopiri, & animi opinionum diuersitate distracti, in viam salutis reduci possent. Cum autem ex illis verbo rum fragoribus & digladiationibus nihil minus consegue-  
retur quam optata concordia, placuit Clementissimo Princi-  
pi nostro, vt confessio vtriusq; partis de Cœna Domini  
djudicanda transmitteretur in Academias certas, quas &  
Maestras eius nominatim expressit. Ibidemq; doctissi-  
mis viris Sacrae Theologie proscriptibus ad regulam ver-  
bi Dei examinanda offerretur, vt tandem ipsorum iudicio  
controversia hac siet & cadat, quo conscientiae piorum in  
verbo Dei tandem acquiescere possint. Extrulimus  
itaq; in hanc difficultem & pericolosam legationem viros  
pios & honestos, per quos sententiam Sacramenterium  
ita ut est impressa ab ipsis, & propositiones ipsorum de  
Cœna Domini bona tide exhibuimus: Extrulimus &  
nostram breuem & simplicissimam, quæ in fronte libelli  
huius polita est.

Lectis itaque et examinatis utriusque partis assertionibus,  
Iudicium ex verbo Dei tulerunt istud ipsum, quod nunc  
ex voluntate clementissimi Principis nostri edimus, &  
omnibus legendum communicamus, ijsdem plane verbis,  
quibus ad nos transmissum est, sicut ipsum αυτόγραφον.  
quod apud nos extat, abunde testabitur.

Quamvis autem scio, non defuturos, quibus consilium  
huius editionis displicebit, tamen testimonio bona conscientiae  
me consolor, quod spero voluntatem meam Deo  
probari. Non cupio dissidia maiora accendere: immo Deo  
um oratione assidue, ut hæc quæ mota sunt compescatur, et cor  
da nostra ad salutarem pacem inclinet. Hunc unum fru-  
ctum quaro, ut aliquid opis aut consilij fluctu antibus  
multorum conscientijs afferre, easque in vera sententia con-  
firmare possim, Vult enim Deus, ut imbecilles in fide do-  
ctrina & commonefactione firmiorum erudiantur, & er-  
rantes (si tamen sanabiles sunt) in viam reducantur.

In hac vero delira mundi senectia præcipue prodest exta-  
re iudicia præstantium virorum de coena Domini, non so-  
lum propter præsentes abusus Papistiarum & errorem Sa-  
cramentiorum, sed ad cauendos etiam erroneous spiritus,  
qui futuris temporibus superuenire possunt. Nondum  
enim mortuus est mendax ille & homicida, sed assidue cir-  
cuit querens occasionem, ut Izitzania spargat in agrum  
Domini, &c.

Oro autem omnes pios, ut ista legant sepositis affecti-  
bus, quibus animi interdum præoccupati minus dextre iu-  
dicare possunt: timent etiam Deum, & dent laudem no-  
mini ipsius, quoniam venit hora iudicij eius.

Nobis hoc satis est, quod quisquis erit euentus, nos  
Dei beneficio nobis optimè conscienti futuri sumus: nostrum  
etiam officium pro mediocritate nostra fecimus in veris sen-  
tentijs

centijs defendendis & falsis confutandis, neq; commissus,  
vt aliquis nostra potius quam sua culpa perierit.

Filiū Dei Dominum nostrum Iesum Christum prece  
ri non desino, vt præstigias Diaboli reprimat, suamq; veri  
tatem in nobis confirmet. **A M E N.**



## BREVIS CON FESSIO D'E COENA DOMINI ECCLESiarVM SAXONICARVM ET coniunctarum in Transyluania, exhibita in Academijs, Anno Domini, 1561.

**A**gnoscimus & grata mente prædicamus ingens bene  
ficium Dei, quod ex immensa misericordia in hac ca  
lmitosa patria nostra, quæ Turcarum saucibus serè infie  
ret, Ecclesiam sibi colligat per vocem Euangelij & legiti  
mum usum Sacramentorum eamq; in tantis ruinis rerum  
politicarum clementer conseruet: Quæ etiæ varie infesta  
tur, non solum armis Turcicis, sed etiam insidijs Sathanæ,  
confidimus tamen in Domino Iesu, aduersus eam ne per  
tas quidem inferorum præualituras, sicut dulcissimè eam  
consolatur per prophetam, se gestaturum Ecclesiam in se  
necta & ad canos usq;, & collectiurum sicut pastor tene  
bos agnos in sinu gerit.

His pro-

His promissionibus confirmati, etiam praesentes difficultates & labores, forti animo perferimus, nec adeo mouemur furiosis clamoribus Sacramentariorum, qui in his partibus nuper excitati, Ecclesiarum nostrarum piam & sanctam concordiam turbare coeperunt, ut animos & clipeum abiecerimus, eti infania eorum eosq; processerit, ut in plenisq; locis non solum vulgi animos, sed etiam primatum mirabiliter fauiciat. Parcat illis Deus, & indat aliquando saniorem mentem, vt argutissimis rationis humanae positpositis, verbo Dei denuo adhaercent & in eodem simpliciter acquiescant.

Cum autem hactenus satis acerbæ vtrinq; concertationes fuerint, nosq; quantum potuimus, ab Ecclesijs nostris errorum illorum depulerimus, nec quicq; tamen apud obstinatos istos hypocritas effecerimus, ccegimur tandem extrema necessitate, ut Ecclesijs nostris consulamus, ac praesentem concordiam, qua hactenus Dei beneficio inter nos fuit, tueamur: Quia quidem in re nobis non defuit piuum & sanctum studium Illustrissimi & Clementissimi Principis nostri, qui vt finem aliquando rixis imponeret, placide annuit, vt conscripta summa doctrinae de Coena Domini mittatur ad certas Ecclesias atq; Academias Germaniz, atq; inde iudicium super utriusq; partis assertione petatur. Huic igitur pio animo Seienissimi Principis nostri summa, qua decet, reverentia obtemprare volumus, & hoc brevi lcripto summarim comprehendere, quid Ecclesijs nostris in Transyluania iam aliquot annos proposuerimus, & nunc Dei beneficio proponamus de sacra cena Domini: Quam quidem confessionem non dubitamus consentire vera doctrinæ vestiarum Ecclesiarum, cum ingenue agnoscamus, nihil in nobis esse, quod non vestris prijs & paternis institutionibus, & in primis scriptis reverendi patris

di patris Lutheri & praeceptoris charissimi Philippi Melanthonis acceptum ferri debeat.

Hanc autem confessionem **communi nomine Ecclesiarum** tam Saxoniarum quam Hungaricarum, quæ ihs in vera sententia coniunctæ sunt in Transylvania, exhibemus, ac reverenter petimus à vestris pietatibus, ut propter gloriam Filij Dei ac summam Ecclesiarum necessitatem difficultatibus nostris veliro grauissimo iudicio & priuissimo consilio succurratis, qua quidem in re, non tam Principi nostro Serenissimo & nobis, quam Filio Dei sacrificium gratissimum praefabitis, qui & laborum vestrorum mercedem condignam suo tempore largiturus est.

**Ac primum fatemur Coenam Domini esse actionem sacram,** à Christo in ultima coena institutam, in qua post integrum verborum recitationem, nobis cum pane & vino, verè & substantialiter exhibet suum corpus edendum & sanguinem bibendum, in eum finem, ut in nobis exus citet memoriam salutiferæ suæ passionis, fidemq; accendat, qua certo statuamus illum velle nobis vniri, peccata remittere, & ad aeternam vitam resuscitare.

Hanc definitionem, quia ex verbis filij Dei desumpta est, non iudicamus merito posse imprebari, nihilominus tamen, ne cuiquam ansam cauillandi praebemus, eam clarus explicabimus.

Diversa sunt vocabula huius sacratissimæ actionis, ab Ecclesia primitua usurpata, quæ aut à causa efficiente, aut materiali, aut formali, aut finali denominationē habent.

Latina Ecclesia appellat eam mensam Domini, eo quod Dominus auspicatus mortem suam, yna cum Discipu-

lis mensæ assidens, hoc suum testamentum condidit, distribuens corpus & sanguinem cum pane & vino: Græca Ecclesia nominat *κοινωνία*, à causa materiali: Ideo enim communicatio dicitur, quia sibi communicantur nobis ea bona, quæ Filius Dei promittit, sicut & Paulus 1. Corinthio: 10. inquit: Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Στρατη quoq; vocant à causa formali, quod in congressu publico & honesto Ecclesie Dei administratur. Εὐχαγιστæ etiam nominant à causa finali: Requirit enim Filius Dei, ut in hac sacra actione revocemus in memoriam illius mortem, & beneficia per eam nobis collata grata mente recolamus. Sed de hac diuersitate vocabulorum nullas mouemus λογομαχías, neq; enim res est magni momenti, quo nomine hanc sacram Cœnam vocemus, modo institutionem Filij Dei & verum usum retineamus.

Deinde non arbitramur quenq; hoc negare, quod filius Dei auctor sit huius Sacramenti, cum tres Euangelistæ & Diuus Paulus hoc manifestè exprimant. Qued quidem scitu necessarium est, hanc ob causam, ne sibi quisquam usurperet eam potestatem, aliquid mutandi in Testamento Christi, sicut Paulus ad Galat. 3. inquit, Tamen hominis testamentum confirmatum nemo rescindit aut superordinat, etc. Manifestum est ergo, eos esse violatores testamenti Christi, qui alteram partem Coenæ laicis ponendam prohibuerunt. Quapropter, ne simul cum eis institutionem Christi violemus, eorum dogma, tanquam contrarium verbis Christi, rejcimus. Afferimus autem usum veriusq; partis, ad uniuersam Ecclesiam pertinere, sicut Christus inquit, Bibite ex hoc omnes. Et Paulus scribens ad totam Ecclesiam Corinthiorum, verba Christi repetit. Constat etiam primiciam Ecclesiam utraq; parte Sacramendi

menti usum esse. Cyprianus multis in locis testatur, populo sanguinem Christi datum esse, ut ad Cornelium Pamam scribens: Quomodo decemus aut preuocamus eos, in confessione Christi sanguinem suum sundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus? Aut quomodo ad Martyrij poculum idoneos facimus, si non eos prius in Ecclesia ad bibendum poculum Domini, iure communica tiois admittimus? Et Hieronymus inquit: Sacerdotes Eucharistiae ministrant; & sanguinem Christi populis dividant. Idem apparet in historia Theodosij excommunicati ab Ambrosio, Hister: Ecclesi: libro 9. cap: 13. Denique in Decretis habetur insignis Canon Gelasii, de Consecratio nis distincti: 2. precipientis, ne sacrilegium committatur in multanda institutione Christi. Canone, Comperimus autem quod quidam &c. Item Calixtus distin: 2. Canone, Peracta consecratione &c. Cum igitur verba filij Dei, & exempla veteris Ecclesiae residentur, utramque partem Sacra menti datam esse communicantibus, Sacerdotibus & Lai cis, non possumus sine periculo animarum, ab institutione Christi declinare.

Perro quod dicimus in definitione, post recitationem verborum, in cena Domini nobis cum pane & vino, verum Christi corpus & sanguinem exhiberi, duplice causa facimus. Primum, ut inter nostram confessionem distinguamus, & eorum, qui dicunt, panem post consecratio nem inire naturam & conditiones corporis Christi, quod usitate vocant transubstantiationem, vel annihilationem panis, manentibus accidentibus sine subiecto. Contra eorum opinionem aperte fatemur, materiam panis nulli alterationi subiectam esse, etiam post consecrationem, sed manere Elementa in facia Cena, & tamen reueia cum illis visibilibus elementis, necis verum corpus Christi & sanguis

nem dispensari, id est omnipotentia verbi: Accipite, edite,  
hoc est corpus meum: Atque haec causa est, cur Paulus  
hanc sacram cœnam, nunc panem & vinum, item corpus  
& sanguinem Domini, mutatis subinde vocabulis nomi-  
net, & Irenaeus ex duabus rebus ἀχαρισταπ consolare affir-  
mat, terrena & cœlesti, id est, elementis visibilibus, dein  
de corpore & sanguine Domini invisibilibus. Hanc eti-  
am ob causam utimur in Ecclesiis nostris his formis loquen-  
di, in pane, sub pane, cum pane, ne auditores delabantur  
in eam opinionem, quasi substantia panis annihilatur, ma-  
nentibus solis accidentibus, Quæ phrases apud patres, ve  
Tertullianum, Epiphanius quoque reperiuntur, sicut &  
Augustinus inquit, Hoc accipite in pane, quod pependit in  
cruce, hoc accipite in calice, quod effusum est de Christu  
latere.

Nec vero hanc vim tribuimus recitationi verborum,  
tanquam incantationi magicae, sicut fallò accusamus à Sa-  
cramentarijs, sed omnipotenti voluntati Filij Dei. Fate-  
mur autem, in coena Domini verborum recitationem non  
debere omitti, propter graues causas. Primum, quia, vt  
inquit Augustinus, Sacraenta conficiuntur in verbo cre-  
atoris: ideo certum est, non esse ibi Sacramentum ubi ver-  
ba desunt. Secundo, vt intelligat rudis populus, hanc sa-  
cram actionem non esse figmentum, humana audacia ex-  
cogitatum, sed à Filio Dei institutam. Tertio, vt intelli-  
gat, non solum, quantum sit quod hic illi datur pignus sa-  
lutis, sed etiam vt assuefiat maiore cum humilitate & reue-  
rentia accedere ad hoc sacrosanctum conuiuatum. Et cer-  
tum est ex multis testimonij Patrum in Ecclesia, semper  
his de causis obseruatam esse consuetudinem recitationis  
verborum Cœnae Domini, sicut etiam Chrysostomus in-  
quit, in Homilia de prodigiis Iudei: Et nunc presto est

Christus

Christus, qui illam eruit mensam, ipse illam quoq; con-  
secrat, Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute  
operantur & gratia. Et Iustii: in Apologia maiore. Quem  
admodum per verbum Dei caro Jesus Christus seruator  
noster, carnem & sanguinem pro salute nostra habuit, sic  
etiam per verbum prectionis & gratiarum actionis sacra-  
tam ab ipso alimoniam, qua mutata nutrit carnes nostras,  
& sanguinem, illius incarnati Iesu carnem & sanguinem  
esse didicimus. Hac cum ita se habeant, immerito ab ad-  
uersarijs accusamur, quasi incantationibus Christum coe-  
lo detrahere, & corruptilibus elementis humana temeri-  
tate includere conemur.

De modo vero quo Elementa cum corpore & sanguine  
Domini copulantur, nihil ex iudicio rationis humana  
quarimus: vicunq; enim scrutemur, nihil certi eruere pos-  
sumus, nisi quod verba filij Dei sonant: Reliqua sunt opini-  
ones philosophicæ & periculosæ. Hinc sancti patres su-  
mentes occasionem, hanc coenam sc̄ope mysterium appel-  
lant, non respectu verbi Dei, sed rationis nostriæ. Prohi-  
bent etiam hanc otiosam curiositatem, ut Epiphanius in li-  
bro Anchorate inquit, hanc subtilitatem soli Deo cogni-  
tam esse, ipsiq; in omnibus vera dicenti absq; curiositate &  
malignitate credendum esse. Et Cyrillus in 6. cap. Ican-  
nis, modum inquirendæ præsentia corporis Christi in cœ-  
pa, dicit Iudaicum esse, & extremi supplicij causam. Simpli-  
citer itaq; mentem & oculos in verba filij Dei defigimus,  
& in eis piè acquiescimus.

Secundo, neq; vero à solis Papistis nostram confessio-  
nem sciunctam esse volumus, sed & à Sacramentarijs,  
cum quibus nobis præcipua in hoc articulo dimicatio est.  
Ac faciemur nos ex animo detesiari perniciatum dogma

B; ; eorum,

tonum, qui superba ratione exceccati, Filium Dei menda-  
cem facere volentes, negant post verborum recitationem  
seu consecrationem, in Coena cum pane & vino exhiberi  
verum & substantiale corpus & sanguinem Domini nostri  
Iesu Christi, & affirmant filium Dei non re ipsa & subsan-  
tialiter, sed virtute, efficacia, seu spiritualiter tantum pra-  
sentem adesse, nec ore corpus & sanguinem ipsius sumi,  
sed hunc & spiritualiter tantum. Horum plausibilis error,  
et si ante annos 520. cum authore suo Berengario & alias  
sepe damnatus sit, tamen impellente Sathan per inquietos  
& superbos spiritus, cum maxima & miseranda Ecclesia-  
rum distractione renouatur. Ac principue dolemus, vici-  
os nostros, oblitos suae pristinae sinceritatis, eodem errore  
infectos, vicinas etiam Ecclesias commaculare. Qui etsi  
istutè videri velint, quasi diuersa loquantur cum prioribus  
Sacramentarijs, tamen plane eadem sentiunt & docent, Id  
quod ex illorum scriptis iam per triennium sparsis manife-  
ste videtur. Docent namq; tumidi isti spiritus, externa  
Elementa in sumptione Sacramentali, symbola esse abientis  
Christi, neq; cum his substantialiter exhiberi corpus & san-  
guinem Domini. Deinde affirmare nituntur, coenam Do-  
mini ad solos pios ac minimè ad impios pertinere. Nos er-  
go, quamvis verbalem digladiationem aduersus obfusatos  
hypocritas non instituerimus: Tamen quia iusti sumus su-  
per hac controversia nostram sententiam, quam publicè Ec-  
clesijs nostris promulgamus, expenere, eam pro mentura  
doni nobis diuinitus concessi, simplicissimam damus.

Pro illustriori autem declaratione totius controversiarum,  
duplicem mandationem corporis Christi in scripturis pro-  
poni faciemur, unam spiritualem, alteram sacramentalem, ut  
vocant. Spiritualis, est applicatio beneficiorum Filij Dei,  
quaerit sit per fidem. Haec omnium horarum & memento-  
rum esse

rum esse debet, semper enim siue in carcere, siue in solitudi-  
ne, siue in periculo maris, omnium hominum consolatione  
destitutis, ad hanc spiritualem mensam, tanquam sacram  
anchoram confugiendum est. De hac loquitur Christus  
Ioañ. 6. Paulus i Corínt: 10. Comederunt omnes ean-  
dem escam spiritualem. Item Augustin: contra Caper: lo-  
quens: Ut quid ventrem & dentem paras? Crede, & man-  
ducisti. Altera est manducatio Sacramentalis, quando iux-  
ta institutionem filij Dei sacramento vtentes, cum pane &  
vino, iuxta verbum Domini: Accipite, manducate, ve-  
rum eius corpus & sanguinem vere & substantialiter præ-  
sentia, modo, qui ipsi soli est cognitus, accipiunt. Quæ  
manducatio, quia in congressibus publicis fieri debet, non  
potest esse omnium temporum & horarum, & tamen fre-  
quens usus eius esse debet in Ecclesia, sicut Paulus inquit:  
quotiescumq; &c. De hac loquuntur tres alij Euangelistæ  
& Apostolus Paulus, cum institutionem coenæ descri-  
bunt, quod sic probamus. Tres Euangelistæ cum Paulo  
loquuntur de tali manducaione corporis Christi, cum qua-  
stare possunt mors & exitium aeternum, quia multi com-  
municantium ad iudicium manducant & bibunt, iuxta  
Pauli dictum, qui edic & bibit indignè, iudicium sibi edic  
& bibit, non dñudicans corpus Domini. Cum manduca-  
tione autem, de qua Iohannes 6. capi: loquitur, non potest  
stare exitium aeternum, inquit enim: Qui edic carnem me-  
am, & bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam.  
Item, Si quis ederit de hoc pane, viuet in aeternum. Cum  
ergo diuersæ sint manducaiones apud Iohannem & reliquos  
Euangelistas & Paulum, non debent manducaiones istæ  
confundi, & series rerum gestarum evincit, quod non pos-  
sint ad sacram Synaxin, quæ aliquanto post instituta est, ac  
commodari, quæ Iohannis 6. de manducaione & bibitione  
dicuntur,

dicuntur, nec refert quod auctoritatem Augustini allegant, qui etiam cap: Ioannis 6. ad coram Domini accommodat. Nam ipse met August: aliquot in locis sub eius scripta sua approbari, quatenus cum scripturis canonicis consenserunt.

Nostra ergo confessio hoc continet, externam actionem siue oris mandationem necessariam esse, & simul in verbis Christi contineri. Cum enim dicit: accipite, manducate, vult ut haec verba imperativa non transiliamus, sed ore etiam corporali Eucharistiam dupli materia constantem, terrena & coelesti, accipiamus. Deinde adiungit & alia verba, quae spirituale mandationem in nobis excitare & confirmare debent. Hac nimirum, quod pro vobis traditur. Item, Qui pro vobis & pro multis effunditur, in remissionem peccatorum. Item, Mortem Domini annunciantibus, donec veniat. Sic ergo applicamus verba institutionis, ut utriusque mandationi, tam Sacramentali quam spirituali, quod suum est, tribuatur, & neutram ab alterutra excludi patiamur. Sicut enim externa mandatio sine spirituali non solum non prodest, sed etiam obest: Ita haec sine externa apud Sacramenti contemptores non operatur. Hoc autem semper addimus, nos Sacramentalem mandationem non in vacuis Symbolis absentis Christi, hoc est, in pane & vino statuere, sicut Sacramentarij faciunt, sed in vera substantiali & reali praesentia corporis & sanguinis filij Dei, sicut ipse inquit, Hoc est corpus meum, quod pro vobis darur.

Hanc simplicem verborum coenae Dominicæ sententiam & ἡγέτης confirmamus: Primum à consensu Evangelistarum, Credimus enim, filium Dei, postremo vite suæ tempore & in testamento suo non lusisse verborum ambiguis, nec pomum ἐριθρόν aut Sphyngis ænigmata Ecclæsiæ suæ objcere voluisse. Ideoquæ tres Evangelistæ omnis voca-

sis vocabulū figurarū, signorū, symbolorū, &c.  
vno ore fatentur, verum corpus & sanguinem illic exhibe-  
ri, non figuratum, allegoricum, aut symbolicum, sed illud  
ipsum corpus, quod pro nobis in mortem datum est, eum  
ipsum sanguinem, qui in remissionem peccatorum nostro-  
rum effulit est. Quid, si aliter intelligendum fuisset, quā  
verba sonant, ipsemet filius Dei omniscius, verum inelle-  
ctum proculdubio Apostolis aperuisset, sicut alias sc̄epe  
dubitantes in viam reuocat: Aut Spiritus sanctus, cum  
Apostolos in omnem veritatem duxerit, ipsis etiam in hoc  
articulo, natuam sententiam verborum ostiensurus fuisset:  
Quod cum nusq̄ factum sit, non dubitamus hanc fuisse  
mentem Christi, quam aperta verba sonant.

Euangelistis, tanquam fidem magasām, addimus Pau-  
lum, qui inquit: Poculum benedictionis cui benedicimus,  
nonne communicatio sanguinis Christi est? Panis quem  
frangimus, &c. In quibus vocabulum κοινωνία, non de  
communicatione beneficiorum Christi propriè, sed de com-  
munione, qua corpus & sanguinem Christi, vere & sub-  
stantialiter praesentia, cum Elementis visibilibus, invisibili-  
ter tamen accipimus. Non quidem ut Capernaitæ imagi-  
nabantur, Christi enim corpus cum sit incorruptibile, etiam  
sumptum intra nos non corruptitur, alteratur, aut digeri-  
tur: sed nos potius assidue alterat, Animum quidem ad iu-  
stitiam, Corpus autem ad spem immortalitatis, sicut & Ec-  
clesia cecinit. Sumit unus, sumunt mille, quantum illi tan-  
tum ille, nec sumptus consumitur.

Tertium argumentum sumimus ex dicto Pauli, i. Co-  
rinth: ii. Probet autem seipsum homo: ubi Paulus non  
semel poenam denunciat indigne sumentibus hanc coenam,  
& pronunciat eos reos fieri, non panis & vini, sed corporis  
& sanguinis Domini. Esset autem contra aeternam iusti-

tiam Dei, damnare hominem propter rem aliquam, cuius  
us nunc ad ipsum peruerterit. Cum autem impios dam-  
nari affirmet, propter abusum corporis & sanguinis Domi-  
ni: Sequitur vere illuc eadem bona sumentibus exhiberi.

Etsi autem merito omnes p̄ij acquiescere debeant in ver-  
bis tilij Dei, nec testimonia humana requirere, sicut inquit  
Ioañ: i. cap. 5. Si hominis testimonium accipimus, tes-  
timonium Dei maius est, qui enim non credit Deo, menda-  
cem facit eum: Voluimus tamen addere unum vel alterum  
testimonium patrum, qui post tempora Apostolorum præ-  
cipue gubernarunt Ecclesiam Christi, ut conspicuum sit,  
doctrinam nostram non esse recens fūgmentum, sed consen-  
sum verae & Catholicæ Ecclesie, omnium temporum.

Primus & antiquissimus scriptor Ecclesiasticus est Ire-  
næus, discipulus Polycarpi, instituti in schola Ieannis Evan-  
gelistæ: Is lib: 4. contra Valentinum ratiocinatur, carnem  
nostram non posse propterea perire, quia corpore Christi nu-  
triatur, verba hæc sunt. Quomodo autem rursum dicitur,  
carnem in corruptionem deuenire, & non percipere vitam,  
quæ à corpore & sanguine Domini alitur? Et paulo post.  
Quemadmodum qui est à terra panis, percipiens vocatio-  
nem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia ex  
duabus rebus consistens, terrena & cœlesti: Sic & corpo-  
ra nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corrupti-  
bilia &c.

Hilarius lib: 8. de Trinitate. De veritate corporis &  
sanguinis Christi, nullus ambigendi locus: Nunc enim &  
ipsius Domini professione, & fide nostra, caro est & vere  
sanguis est, & hæc accepta & hausta id efficiunt, ut & nos  
in Christo, & Christus in nobis sit. In hanc sententiam plu-  
ria dicit eodem libro. Athanasius super 10. cap: Epist: ad  
Corinth: Sanguis iste, qui calice continetur, est qui de late-  
re Christi

re Christi profluxit, hunc, ipsi cum sumimus, participamus & Christo coniungimur. Non igitur vos puderet, o Corinthis, cum ad Idolorum calicem decurritis, ab hoc poculo, quod vos ab Idolis liberauit.

Ambrosius affirmat panem hunc, qui de altari sumitur, esse illum panem, qui per Spiritum sanctum, in utero beatæ Mariæ virginis, formatus sit, & posita crucifixus. Venit etiam quæri ordinem naturæ in eo corpore, quod præter naturam conceptum est.

Augustinus Epistola 1. 8. Liquido apparet, quando pri-  
mum acceperunt discipuli corpus & sanguinem Domini,  
non eos accepisse ieiunos, sed Spiritui sancto placuit, ut in  
honorem tanti Sacramenti, prius corpus Domini ingredie-  
retur os Christiani, quam alij cibi. Idem ad Bonifaci: Epi-  
sto: 23. Sacramentum corporis Christi, est corpus Christi  
& sanguis Christi. Idem lib: 3. de Trinitate, cap: 4. Cor-  
pus & sanguis Christi illud est, quod ex fructibus terræ ac-  
ceptum, & prece mystica consecratum, utile sumimus ad  
salutem spiritualem, in memoriam Dominicæ passionis, pro  
nobis. Dominus noster Iesus, commendauit nobis cor-  
pus & sanguinem suum, de eiusmodi rebus, quæ multæ  
ad unam trahuntur. Idem in sermone de Temp: 205. Vide  
te fratres charissimi, si iustum est, ut ex ore Christianorū,  
ubi Christi corpus ingreditur, luxuriosum canticum, qua-  
si venenum Diaboli proferatur, &c.

In hanc sententiam plura reperiuntur, cum apud alios scri-  
ptores, tum præcipue Augustinum. Ex his testimonijis  
perspicuum est, quid vetus & purior Ecclesia, post tempo-  
ra Apostolorum, de hac sacra coena crediderit & decuerit.  
Et si autem reperiantur quædam obscurius dicta apud Au-  
gustinum & sequentes: Tamen cum fideliter totum cor-  
pus doctrinæ inspicitur, conferuntur integra non mutilatae

Sententiae, consideratur intentio auctoris, manifestum est Augustinum in hoc articulo fortiter nobiscum stare, contra Sacramentarios. Deinde, et si vel ipse vel alius quisque affirmeret contra manifesta verba scripturæ, non recedendum est à verbo Dei propter opiniones hominum: Certiora enim sunt quæ de ore Domini procedunt, quam omnes argutiæ ingenij humani, quæ ex philosophia, eaçq; non satis intellecta, aut dictis Patrum plerunq; male detortis, proferuntur.

Manifestum est D. August: facile omnium Ecclesiastico rum Scriptorum Principem, habuisse suos nauos, & erro sum aliorum semina vel sparsisse, vel etiam ab alijs sparsa, in consuetudine confirmasse. Nolumus itaq; illius autoritate plus obstringi, quam filij Dei, nec cuiusquam testimonijs tribuere eum honorem, quem verbo Dei, & canonis scripturis debemus, sicut & ipse Augustinus pie aliquoties admonet. Hæc de substancia coenæ Domini diximus.

Alterum membrum, de quo inter nos & Sacmentarios dimicatur, hoc est: Quod docent isti sublimes spiritus, hoc Sacmentum ad solos pios & minime ad impios pertinere, quod tamen Dominus pro tota Ecclesia instituit, cui certe multi mali admixti sunt, id quod & in Paulo videre est, ubi tota Ecclesia Corinthiorum uia est integro Sacramento, licet aliqui in ea fuerint etiam exterris criminibus obnoxij, sicut testatur: Propter hoc, inquit, multi sunt inter vos imbecilles, multi etiam obdormierunt, & tamen eos communite hac sacra Ceena uti voluit. Sic cum tota Ecclesia quotidie orat, Dimitte nobis debita nostra, ingenuè facetur, se multis peccatis pollutam, ideoq; gratia Del indignam esse, & tamen præcipit Christus, ut hoc Sacmento utatur. Agit enim Deus nobiscum, non pro nostra dignitate, sed pro necessitate & sua infinita misericordia.

Nostra

No  
talem i  
exhibe  
tām p  
quod q  
accipian  
Ihs sit c  
riter ad  
mo, &  
pus fui  
tus alic  
Test  
guistinu  
Diaboli  
innocen  
Porro p  
corpus  
Christi.  
buccella  
male ace  
quisq; su  
quia ipse  
pit, nihil  
minus e  
digne ed  
totum a  
& sangu  
& multi  
edamus,  
peccator  
cacia. Sc  
Quan

Nostra ergo confessio haec est, externam vel Sacramentalē manducactionem, in qua, cum elementis visibilibus, exhibentur corpus & sanguis Domini, communem esse tām pījs quām impījs in Ecclesia, sed nostra culpa fieri, quod quidam digne ad vitam, quidam indigne admonitionem accipiant, sicut et de Euāngelio Apostolus inquit: Quod alijs sit edor uitæ in uitam, alijs in mortem. Ideo Paulus seue rite admonet totam Ecclesiam: Probet autem seipsum ho mo, & sic de pane illo edat. &c. Quia admonitione nihil corpus fuisset, si impīj non acciperet corpus Domini. Nam ita alicuius bone rei imputat nemini, nisi re bona abutenti.

Testimonia de hac nostra confessione manifesta sunt. Augustinus Epistola 102. inquit: Tolerat Dominus Iudam, Diabolum, furem & venditorem suum, sicut accipere inter innocentes discipulos, quod fideles nerunt precium nostrū. Perro precium nostrum non est panis & vinum, sed ipsum corpus & sanguis immaculati agni, Domini nostri Iesu Christi. Idem lib: 5. contra Donatistas: Sicut Iudas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed male accipiendo, locum in se Diabolo prabuit: Sic indignè quisq; sumens Dominicum Sacramentum, non efficit, vt quia ipse malus, malum sit, aut quia non ad salutem accepit, nihil acceperit. Corpus enim & sanguis Domini, nihil minus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus: Qui indigne edit &c. Idem super Icannem tractatu 28. Hoc ergo totum ad hoc nobis valeat dilectissimi, vt carnem Christi & sanguinem, non edamus tantum in Sacramento, quod & multi mali faciunt, sed usq; ad participationem spiritus edamus. Gregorius Dialogo 4. Est quidem ( inquit ) in peccatoribus vera caro Christi, sed essentia, non salubri efficiacia. &c.

Quanquam autem internam spiritualem cōmunionem

c 3 non asse

non assequuntur, nec fructum eius percipiunt: Non ideo tamen, quia spirituali communione carent, non integrum & verum accipiunt Sacramentum. Quemadmodum enim de integritate Sacramenti nihilcedit, propter indignitate in persone administrantis: Ita nec sumentis indignitas evanescit ordinationem filij Dei, hoc est, ipsam sumptionem corporis & sanguinis. Praterea, non bene procedit argumentum, ab abuso rei, ad destructionem substantie, negatiue.

Porro dictum Augusti: traciatu 59, quod hic praeципue opponunt: Scit Dominus quos ad societatem beatitudinis huius elegerit &c. verum est, dummodo dextrè intelligatur. Cum enim corpus Christi, ut testatur Cyrilus, sit corpus vitae per se, pie vtentibus, exitio esse non potest, quin immo nutrit animas, & sui participatione, ad immortalitatem perducit corpora. Per accidens vero fit, quod quibusdam sit exitio, quia indigne sumunt, non dijudicantes corpus Domini à communibus cibis. Hanc interpretationem veram esse, agnoscit ipsemet Augustus: in lib: de pœnitentia, cum inquit: Caro Christi quibusdam ad exitium est, sicut extitit Iude, quibusdam vero ad vitam: Non eò exitio extitit Iude, quia malum erat, sed quia malus Iudas bonū male accepit. Et extat apud eundem Augustus: venusta similitudo, sic enim inquit: Baptismus est Sacramentum nouae vitae, ac salutis æternæ, quem multi habent, non ad vitam, sed ad pœnam aeternam, non bene vtentes tanto bono. Ita eti si infideles & indigni de mensa Domini, non manducant ac bibunt vitam, sed iudicium: Tamen accipiunt verum Sacramentum, hoc est, corpus & sanguinem Domini, quæ in Sacramento Cœng, cum pane & vino dispensantur. Fides enim nostra non facit Euangelium aut Sacraimenta, sed fides credit Euangelio, & salubriter utitur Sacramentis. Ideo inquit Augustus: Accedat, credat, incorporetur,

poretur, & viuiscetur. Sicut igitur coecus, sua priuatio  
ne non destruit substancialm Solis, sic à Deo per verbum  
suum conditi & ordinati, vt luceat: Ita nec infidelitas su-  
mentis, euertit ordinem immutabilem filij Dei. Atq; hæc  
de altera parte controversia, inter nos & Sacramentalis  
breuiter dicia sint.

Quia vero non tantum de substancial Coenæ Domini,  
sed etiam de vero vsu, homines recte inserviendi sunt, vt  
tanto bono salubriter vti discant, diligenter propinquimus ad  
monitionem Pauli: Probet autem seipsum homo: &c.  
Hanc autem probationem, duabus præcipue rebus consa-  
re sentimus. Primum requiri mus, vt accessuri ad hoc san-  
ctum conuiuum, vere agnoscant sua peccata, quibus De-  
um offenderunt, & de his serio doleant, habcantq; proposi-  
tum, se adiuuante Deo, deinceps vitatueros peccata. Qui  
cumq; enim intelligunt, se contra conscientiam peccasse, necq;  
tamen vitam emendare statuunt, sumunt sibi ad iudicium:  
Nec admittimus polutos manifestis criminibus, q; & Pau-  
lus enumerat ad Gal: 5. Manifesta sunt opera carnis &c.  
donec emendationem vitae polliceantur. Secundo, requi-  
ritur vera fides, non tantum vt credamus, in hac coena ve-  
re exhiberi corpus & sanguinem Domini, sed ea, quæ  
beneficium nobis hoc applicat, vt statuamus, filium Dei  
pro nobis, corpus suum dedisse in mortem, & sanguinem  
suum in remissionem peccatorum nosirorum effundisse.  
Hoc cum credimus, vere communicantur ea bona, quæ  
in verbis coenæ promittuntur, remissio peccatorum & vi-  
ta æterna. Atq; hæc fides est spiritualis manducatio, de qua  
supra diximus.

Vt autem populus commodius de hac præparatione e-  
doceri possit, reginemus in Ecclesijs nosiris priuatam ab so-  
lutionem, sine qua neminem ad sacram coenam admitti-  
mus.

mus. Neq; ideo hanc plam consuetudinem conservamus,  
ut conscientias excarnificemus, enumeratione singulorum  
peccatorum: Sed ut proscium verbi apud auditores vi-  
deamus, et scrupulos conscientiarum commodius per ver-  
bum Domini eximere possimus. Deinde admonemus Ec-  
clesiam, ut magna reverentia, & pia humilitate, hoc pio Sa-  
cramento, vtatur. Esi enim scimus, veram rationem pro-  
bandi se non confisiere in decora gestuum moderatione,  
quod & hypocritae facere possunt: tamen vbi homo vere  
credit, in hoc Sacramento presentem esse filium Dei, adeoq;  
totam Trinitatem, impossibile est, vt non vultu & omni-  
bus gestibus, pietatem & reverentiam animi sui, in hac sa-  
cra actione declareret.

Fines Coenæ Domini plures enumerari possunt, hi ta-  
men præcipui: Primus, est confirmatio fidei, quæ oritur  
ex agnitione beneficiorum Christi & misericordiæ Dei, re-  
cipientis nos propter filium mediatorem.

Secundus, est gratiarumactio, celebrans beneficia, quæ  
a Christo in nos sunt collata.

Tertius, est admonitio de mutuo inter nos amore, &  
multorum inter nos effitorum coniunctione, membra e-  
nam sumus in vicem, eodemq; cibo & potu vtimur.

Quartus, testimonium confessionis, discernens piros ab  
alijs tecis, quas Deus odit & detestatur: Si quis plures  
minus principales addere velit, non pungamus.

Positremo, testatum volumus, coram Deo & tota Ec-  
clesia, nos vere et ex animo odiisse omnes errores & abu-  
sus, pugnantes cum institutione & verbis filij Dei, quales  
sunt, profanatio papistica coenæ Domini in missis funebri-  
bus et venalibus, transubstantiatio, circumgesiatio in pom-  
pis & processionibus, adoratio panis Idolatria, Item sacrije  
gium

giun  
est en  
paulo  
temp  
cat ap  
cile cr  
vt pia  
At  
crosa  
simi S  
tates  
doctif  
revera  
ter sig  
rum c  
TO In  
am Co  
ad li  
quo  
&  
avox  
cun  
tire

gium, quo vnam partem ēoenā Laicis adimunt. Deinde  
est error Sacramentariorum & Anabaptistarum, de quo  
paulo ante diximus, qui quantum Epicureismum & con-  
temptum totius Christianæ religionis de die in diem indu-  
cat apud promiscuam plebem, nec nobis dictu, nec alijs fa-  
cile creditu est. Dominus eos aliquando reducat, & faxit,  
ut pia tandem concordia Ecclesij suis restituatur.

Atq̄ haec est breuis summa confessionis nosiræ de hac sa-  
crofancia coena Domini, quam iuxta voluntatem Illustris-  
simi & Clementissimi Principis ac Domini nosiri, ad pie-  
tates vestras scribere voluimus. Ceterum sicuti vestris  
doctissimis auribus non ut par est satisfacium fuerit, ( sicut  
revera tenuitatem ingenij nostri fatemur ) tamen reueren-  
ter significamus, nos ad apologiam Clariſimorum viro-  
rum confugere, qui AVGUSTAE, CAROLO QVIN-  
TO Imperatori, in confessu omnium ordinum Imperij, su-  
am Confessionem puram & incorruptam exhibuerunt, &  
ad libros Reuerendi patris D. MARTINI LUTHERI,  
quos ille contra Sacramentarios publicauit. Hos amamus  
& amplectimur, non tam propter autorem, quam propter  
τιναλογιαν fidei, quia Canonis scriptis conformes sunt,  
cum quibus & doctrinam vestrarum Ecclesiarum conlen-  
tire non dubitamus,

D Propo-

PROPOSITIO,  
NES DE COENA DOMINI, PRO  
POSITAE IN MEDYES A PASTORI-  
bus Saxoniarum Ecclesiarum, & Hungari-  
carum cum bis coniunctarum, in Transylvania.  
Anno M D LXI. VI Febr.

**I**n genue fatemur, nos ex animo dolere turbas istas, quæ de venerabili Sacramento in Ecclesijs motæ sunt. Videlicet enim non solum animos docentium, sed & auditorum hac occasione mire exacerbari, fidem & invocationem multorum labefactari, sumnum contemptum veræ religionis & Sacramentorum in infinitum augeri, hostes denique Euangeli ex his intestinis nostris dissidijs multum animari & triumphare. Hæc mala deploramus, & quantum in nobis est, nihil magis cupimus, quam piam & salutarem concordiam in Deo, qua cum hactenus propter odium Satanæ, & multorum inquietos animos, nobis frui non datum sit, non potuimus salua conscientia, in gratiam ullius hominis, à manifestis verbis filij Dei recedere: ita enim amicitia cum hominibus colenda est, ne interea falsis opinionibus applaudamus. Cum igitur confessio veræ doctrinæ hoc tempore præcipue necessaria sit, has propositiones pio studio pacis conscripsimus, continentibus summam doctrinæ de venerabili Eucharistia, quam cum hactenus ut veram, ex verbo Dei desumptam, & ab Ecclesia orthodoxa approbaram, gregi nostræ fidei commissio proposuerimus: volumus in eadem, Deo duce, & in posseum constanter perseverare.

Fatemu;

### I.

Fatemur Coenam Domini esse actionem sacram, à Christo in ultima coena institutam, in qua post integrum recitatum verborum, nobis cum pane & vino vere & substantialiter exhibet suum corpus manducandum, & sanguinem bibendum, in eum finem, ut in nobis exusciter memoriam salutiferæ suæ passionis, fidemq; accendar, qua certos statuamus, illum velle nobis yniri, peccata remittere, & ad æternam vitam resuscitare.

### II.

Hæc Coena varijs appellationibus nominatur in scriptis Patrum, nunc enim Eucharistiam, nunc sacram Synaxin, nunc item ἡγέριω vocarunt, de quibus rixari nolumus. Non enim refert, quo nomine hanc sacram coenam vocemus, dummodo institutionem filij Dei, & verum usum retinere possimus.

### III.

Autorem huius sacrae coenæ credimus filium Dei, quod ideo scitu necessarium est, ne quis hominum sibi usurpet eā potestatem aliquid mutandi in testamento Christi. Gal: 3.

### IV.

Partes huius Sacramenti usitato more numeramus tres, Verbum seu premissionem gratiæ, Elementum integrum panis & vini, cum corpore & sanguine Christi, Et expressum mandatum, in quo præcipitur, ut his elementis cum suo verbo utamur. Si enim non accedat hoc mandatum, iam omnes incantationes, in quibus homines verbo Dei ab utuntur, item superstitiones consecrationes herbarum, salis, aquæ, quarum in papatu multæ fuerunt humana autoritate conficiæ, Sacraenta vocabuntur.

D 2

1. *Verbi*
2. *Panis, Vino Corpus*
3. *Mandatum*

### V.

Duplex est huius Cœre materia: Una externa, subiecta sensibus, ipsum videlicet elementum panis & vini. Altera interna, Corpus & Sanguis Domini, quæ filius Dei copulat cum elementis, non vnione hypostatica, aut durable, sed conditionali, & Sacramentis conuenienti. Huic sententiae adspicuntur S. Patres, ut Ireranus & Augustinus ex duabus rebus Sacramentum confitare affirmant: altera terrena, altera cœlesti.

### VI.

Deploramus multorum audaciam, qui propter vitanda absurdia rationis, discedunt à manifesto verbo, & plausibles interpretationes comminiscuntur, sicut Papistæ in articulo Iustificationis, & Czuingtoniani in hac sacratissima Cœna fecerunt. Nos autem captiuantes rationem in obsequium Christi, & tropo verborum Cœre ex animo amplectimur, quæ verba testantur non nuda et sola elementa sumi, nec figuratum, significatum, aut allegoricum, aut imaginarium corpus, sed unicum illud ac verissimum corpus, quod filius Dei de carne Mariae virginis matris sanctificata assumpsit, & verissimum cruentum, qui ex vulneribus eius effluxit. Credimus enim filium Dei postremo vitae temporis non lusisse ambiguitatibus, nec ponumus quod Ecclesia suæ obsecere voluisse.

### VII.

Hanc sententiam veram esse multæ circumstantiae testantur: Pondera verborum Christi, Hoc est corpus meum. Et in his summus Evangelistarum consensus, qui uno ore fatentur verum corpus & sanguinem illic exhiberi. Deinde ratio temporis, quia certum est Christum, si unquam antea,

antea, præcipue instantे morte propriissimis verbis usum,  
ita enim testamenti ratio requirebat. Insuper cum Spiritus sanctus Apostolis in omnem veritatem duxerit, creditus eum & in hoc articulo natuam sententiam manifestaturum fuisse, sicut & Christus saepe alias dubitantes Apostolos præoccupat & instruit, quod cum nusquam facium sit, non dubitemus hanc fuisse mentem Domini, quam aperata verba sonant.

### VIII.

Formam Sacramenti huius ponimus integrā actionem, sicut à Christo instituta est, in qua iuxta promissionē cum pane & vino copulata corpus & sanguinem Domini exhiberi, modo inuisibili, atq; rationi inperuestigabili credimus, non tantum fide & spiritu, sed etiam ore corporali sumenda.

### IX.

Modum praesentiae corporis & sanguinis Christi in coena, humana ratione inquirere, est in tenebris ambulare. Non enim adest Christus in coena modo visibili, contrecitabili, aut iubieciō sensui & oculis hominis, sed cœlesti & fidei conuenienti. Hinc sancti Patres sumentes occasionem, hanc coenam saepe mysterium appellant, non respectu verbi Dei, sed rationis nostrae. Prohibent etiam hanc otiosam curiositatem, vt Epiphan: in libro Anchorato inquit, hanc subtilitatem soli Deo cognitam esse, ipsiq; in omnibus vera dicenti absq; curiositate & malignitate credendum esse. Et Cynillus in 6. cap: Ioan: modum inquirendæ praesentia corporis Christi in Coena dicit Iudaicum esse, & extremi supplicij causam.

## X.

Quoties igitur conscientia tua disputat & anxie querit quomodo in Cœna corpus & sanguis Christi exhibeantur, cogites illud: Altiora te ne quæsieris. Item, Scrutator maiestatis opprimetur à gloria. Non vageris extra verbum, sed dicta Euangeli tibi proponas, & filio Dei tribus laudem veritatis, sicut Abraham fecit, qui contra spem in spem credidit. Hæc cogitatio ad pietatem & tranquillitatem conscientiae plus prodebet, quam vana curiositate frustra se affigere.

## XI.

Non solum autem de conscientia Sacramenti docendi sunt homines, verum etiam ut hoc tanto beneficio ad salutem pie uti possint. Sciendum est igitur duplē esse mandationem: Altera est externa vel Sacramentalis, communis tam pījs, quam impijs, in qua una cum elementis visibilibus exhibentur ore corporali sumenda Corpus & Sanguis Domini, diuerso tamen effectu. Pīj enim ad salutem aeternam, impij vero ad exitium sumunt. De hac loquitur textus: Accipite, comedite. Item, Bibite ex hoc omnes. Item Paulus: Indigne sumentes, iudicium sibi manducant & bibunt. Hilarius lib: 8. de Trinit: Hæc accepta & haustra &c. Augustinus Epist: 48 ad Ianuarium: Placuit Spiritui sancto &c. Idem super Ieannem, Tractatu 27. Hoc ergo totum ad hoc nobis valeat dilectissimi, ut carnem & sanguinem Christi non edamus tantum in Sacramento, quod & multi mali faciunt. Idem in Sermone de Tempo: 205. Videte fratres charissimi, si iustum est, ut ex ore Christianorum, ubi corpus Christi ingreditur, luxuriosum cantum quasi venenum Diaboli proferatur. Ambrosius in Hist: Tripart: lib. 9. cap. 30.

Quomodo humi modi amb: Inscripes somnum  
boniori Corpus? Qua temeristi ore tuo pernici-  
sionis prius perires sic.

## XII.

## XII.

Altera species manducationis Spiritualis est, communis  
pijs veteris & novi Testamenti, sine qua prior non solum  
non prodest, sed etiam exitiosa est. Spiritualis autem man-  
ducatio, est applicatio effectuum & beneficiorum Christi,  
quæ fit per fidem, sicut autem externa manducatio sine spi-  
rituali nihil prodest: ita & hæc sine externa apud Sacra-  
menti contemptores non operatur. De hac Christus Ioān: 6.  
concionatur, partim proprijs verbis, partim figuratis. Et  
Paulus 1. Corinth: 10. Comederunt eandem eicam spiri-  
tualem &c. Item August: contra Capernaitas lequens,  
Ut quid ventrem & dentem paras, crede & manducaſti.  
De utraq; igitur Ecclesie diligenter instituendæ sunt.

## XIII.

Fines coenæ Domini plures numerari possunt. Primus  
& præcipuus est confirmatio fidei, quæ oritur ex agnitione  
beneficiorum Christi, & misericordiæ Dei, recipientis nos  
propter filium mediatorem. Secundus est gratiarumactio,  
celebrans beneficia, quæ à Christo in nos colata sunt. Ter-  
tius est admonitio de mutuo inter nos amore, & multo-  
rum officiorum coniunctione. Quartus, testimonium con-  
fessionis, discernens pios ab alijs sectis, quas Deus odit &  
detestatur.

## XIV.

Pugnant cum hac institutione Christi omnes errores &  
abusus, quales sunt: Prophanatio papistica coenæ Domini,  
in missis funebribus & venalibus, Transubstantiatio, Cir-  
cumgestatio in pompis & processionibus, Adoratio panis  
idolatrica, cum nihil habeat rationem Sacramenti, extra  
ysum à Christo institutum: Item Sacrilegium, quo vnam  
partem